Ingenui adoleſcentes ſunt
Reip. lauta ſupellex.

Alcinoi vario cultu nitidiſſimus hortus
Fronde ſua nunquam deficiente viget.
Hic ramus flores & fructus exerit idem,
Dumque legis coctas, germinat vua recens.
Hic ficum ficos, morum noua mora videres,
Inque vices crudum mitia poma ſequi.
Talis & eſt hominum, colimus qui mœnia, curſus:
Tu, dum carceribus prodeo, calce ſedes.
Vnus & eſt vnctus, dum præmia ſuſtulit alter,
Se tegit hic armis, ille triumphat equis.
Et cum pars ſenſim ſine ſenſu magna ſeneſcit,
Vt vitio moriens aëris herba ſitit:
Tum vera virtute viri, ceu vere, vireſcunt,
Vt tempeſtiuo fonte rigatus ager.
Arbor vt in baccis, caro ſanguine, beſtia fœtu,
Nubibus vnda, ſeges ſemine, prole pater:
Sic in patricio ſpem ponit flore ſenatus,
Vrbis in hos humeros grande recumbit onus,
Barba quibus grauis in lanugine, meſſis in herba
Eſt, nec adhuc vultum ruga ſenilis arat.
Qui niſi ſint, ceu cum domus inclinata laborat,
Fundamenta iacent interitura breui.
Si corpus ſpectes, eſt prima valentior ætas,
Sin animum, ſimul eſt ingenioſa ſatis,
Et matura ſatis fiet voluentibus annis,
Nam ſua conſilium firmius hora docet.
Cui re magna quidem, ſpe verò maxima virtus,
Hunc honor expectat, quo fuit auctus auus.
Iſque ſenex ſaluo, pueroque ſuperſtite gaudet,
Quod monumenta manent & ſtat imago ſui.
Pelea iam factus vir Achilles, Pyrrhus Achillem:
Laërtem natus, Telemachuſque patrem:
Anchiſem Æneas, Æneam pulcher Iülus
Falciferi ſpolium temporis eſſe vetant.
Nam velut excipiunt hiemem ver, lumina noctem,
Caniciem ſenij ſic iuuenile decus.
Es fabro natura ſimillima, nam manus ædes
Deſtruit hæc veteres, vt ſtruat illa nouas.
Ob vires æterna, vices alterna voceris,
Quæ licet amittis ſingula, cuncta tenes.
Mœnibus vna viros voluiſti claudier vnis
Filiolos magna mater vt alma domo.
Atque tuis alios, alioſque benignior vti
Mandaſti donis ordine quemque ſuo.
Et facis vt iuuenum ſit patria diues eorum,
Euehat in ſummum quos aliquando locum.
Sic ſeuere pyros, carpant vt poma nepotes,
Agricolæ, quibus eſt poſteritatis amor.
Et noua vina cadis in tempora longa reſeruant,
Quæ feſta poſthac luce repoſta bibent.
Nam iuuenes veluti multo ſpectabilis auro
Veſtis, & inſigni murice tincta, nitent:
Tàm neque ſplendet ebur, nec vaſa recondita fulgent,
Quamuis celârit Dædalus arte potens.
Nec ſtat imaginibus, veteris nec origine famæ,
Clarus inextinctæ nobilitatis honor.
Sed dabit hunc generis numeroſa propago, parentes
Quæ factis, ſtudio, laudibus, ore refert.

Ergo ſuæ patriæ iuuenes ſunt lauta ſupellex,
In quibus illius ſpeſque decúſque latent.

Natura nullum animal
inerme fecit.

Quæ peperit natura modis animalia miris,
Vt ſe protegerent, omnibus arma dedit.
Magnaque maiori geſtamina, parua minori,
Corpore cum telis conueniente ſuis.
Caſtra ſequi, ſobolem defendere, pellere morbos,
Pabula ſectari, pondera ferre queunt.
Et vel tutantur ſe ſquamis, dente, veneno,
Saltu, curriculo, cornibus, vngue, pede:
Vel bene proſpiciunt ſibi nido, frondibus, ala,
Latratu, ſtimulis, monte, palude ſpecu.
Aſpicis vt ſerpens, poſita cum pelle ſenecta,
Luxurians nodis vi meliore valet:
Quem rapiens pedibus nudum Iouis armiger vncis,
Præforti roſtro cærula colla premit.
Hic circa latas ſinuoſa volumina pennas
Torquet, & effundit lingua triſulca minas.
Et quis aprum, pugna genus intractabile, neſcit,
Quam validoque citos diſſipet ore canes?
Si qua cohors iuuenum caluêre cupidine laudis,
Pertimuere tamen tingere cæde manus.
Sed procul & tutis iaculis, & vocibus altis
In laqueos certant præcipitare feram.
Et procul ardentemque ira, coſtaſque fricantem,
Firmantemque humeros ad fera bella vident.
Horreſcunt ſetæ, dentes acuuntur, abundat
Spuma, retorquentur lumina, colla tument.
Adde, leæna ferox, ingens timor ille ferarum
Fertur in armento depoſitura ſitim.
Hoſtibus at viſis, ſtimulat ſe verbere caudæ,
Arrigit & laxas ſanguinolenta comas:
Nec protenta timet lato venabula ferro,
Intus enim ſaxis ac adamante riget.
Nam quid ego memorem caput inſuperabile bello,
Qui ferus eſt animis, curſibus acer, equum?
Quem ſimul & pugna ſimulachra ciere, ſuperbos
In gyrum greſſus & glomerare iuuat.
Qui geſtit clamore virûm, clangore tubarum,
Vngula dum fœdam ſanguine pulſat humum.
Aſt ego (Namque breui quis dixerit omnia verſu?)
Hactenus hæc? ſemper ne truculenta loquar:
Inferiora ſequar. Subtilia brachia nectit,
Spicula defigit, morſibus hæret apis.
Nonne vides paruo magnas in corpore vires,
Lecta laboratam pondera ferre domum?
Quòdq; petunt pulchram per aperta pericula mortem,
Et fucos, martem qui poſuere, fugant?
En formica genus parcum patienſque laborum
Frugilego ſparſum colligit ore cibum.
Et metuens hiemi ſecreta cubilia condit,
Nam ſe, parua licet, quo tueatur, habet.
Quàm ſimilem nebulis ſuſpendit aranea telam,
Vt fuſum verſat Penelopæa manus.
Talibus inſidijs Martem Veneremque ligârat
Mulciber, & turpes luſerat arte pari.
Denique & imbelles quædam dant prælia cerui,
Nec fruſtra mitis cornua geſtat ouis.
Muſca ſuam bilem gerit, & qui paruus, Aſylus
Prauus, & inſano peſtis acerba boui.

Ergo natura, vt prudens & prouida mater,
Cunctis, quæ donat ſenſibus, arma dedit.